



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

Secvlvm Primvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)



SERIES
 EPISCOPORUM
 TREVIREN-
 SIUM.
 PERIODUS I.

SECVLVM PRIMVM.

I. D. EUCHARIUS.

Dixit præclarè Poeta: & documenta damus, qua finis origine
nati. Clarissima sanè est origo, & paria sunt docu-
 menta trium Episcoporum inter Germanos ferè Prin-
 cipum, de quibus accipe Lector sequentia. D. Eu-
 charius ex 72. Discipulorum numero Christi Disci-
 pulus, anno post reparatam Salutem 50. à D. Pontifice Petro
 cum Diacono D. Valerio & Subdiacono D. Materno ad Germa-
 nos missus, venit in Alsatiam, ubi in villa, quam *Et* populares no-
 minârunt, D. Maternus repente succubuit morti, Sepulto socio
 ter-

tertio bini properè Romam repetière. Verùm à D. Petro novis documentis instructi, & ocyùs in Germaniam remissi, dum ad Ellenfem villam redièrè, & præscriptâ verborum formulâ Maternum è sepulchro evocavère, subito dictis obediens surrexit redi-vivus. Inde Mosellam versus iter aggressi, eodem secundo flumine Treviros descenderunt, futuri omnes ibidem Episcopi. Horum primus Eucharius vix metam attigit, mox ab Albana vidua prædivite in domum susceptus, eò magis placuit, quòd eiusdem filium paulò antè è vivis ereptum matri vivum reddiderit. Horum aliorumque multorum ad Christum conversioni post annos circiter 20. Trevirensis Senator accedens, præcipuam urbis maximæ partem exemplo potentissimo traxit: unde magnificum templum erectum, copiosissimum attraxit populum; minimè ut quondam pertinacem & reluctansem: priùs enim cùm ad confertam multitudinem minùs tum grata diceret Eucharius, & jam multis lapidibus peteretur, subito omnium obriguère manus eò usque, donec denique Superi auditis D. Episcopi precibus membrorum usum miseris mortalibus reddidèrè. Animam Deo reddidit pretiosissimam die 8. Decemb. an. Christi 73. cum sedisset Episcopus an. 23. Agonizantis cubiculum lux clarissima illustrans, dissipavit multorum tenebras.

II. D. VALERIVS.

EX divina Schola non Discipulum ampliùs, sed Magistrum prodissè, & venissè in Germaniam abundè dictum. Successor D. Euchario non tam ab homine, quam à Deo electus, Trevirensibus annis 15. Episcopus placuit: unde eidem & vivere & mori absque sanguine datum est. Confessorem itaque an. 88. 29. Januarii mortuum in eadem sepelièrunt æde, quam vivis & mortuis erexit D. Eucharius.